

quia, ut jam dudum monuimus, per totum partibus suis essentiali hic nihil aliud intelligi potest, quam universale. At verò falsissimum est, Deum esse tale totum, cum de huius natura sit, ut in partibus, i.e. inferioribus suis multiplicetur: quis verò qui sacrarum literarum Oracula admittit, multiplicationem summæ & simplicissimæ naturæ, in tribus SS. Triadis personis affirmabit! (2.) Piscator ita colligit: Quod de specie prædicatur in quid, non reciprocè, illud est Genus. Atqui Deus de singulis personis prædicatur in quid, non reciprocè. E. De<sup>9</sup> est Genus. Bella me hercule argumentatio & Calviniano digna. In Minore ita subsumere debebat: Atqui Deus de specie vel speciebus prædicatur in quid, non reciprocè, quod in veritatem manifesto impingit. Sunt igitur in argumento expressè quatuor termini. Hic *ὡς ἐν παρρησίᾳ* observandum, quòd fuerint, qui statuerint, Deum nec ad universale, nec ad singulare referri posse. Non ad universale, quia non potest multiplicari, quod tamen requiritur ad universale; nec etiam ad singulare, quia Deus est communicabile quid, singulare autem est incommunicabile. At enim verò hæc sententia admitti non potest: Nam universale & singulare involvunt rationes contradictorias, nempe communicabile & non communicabile cum sui multiplicatione: Sicut autem inter hæc duo contradictoria non datur medium; ita etiam medium nullum est inter universale & singulare, sed quicquid est, referri debet vel ad singulare, vel ad universale. Deus igitur est singulare quid; quod probatur hoc modo: Quicquid est indivisibile in plura talia, quale est ipsum, illud est singulare: DEUS est Ens indivisibile in plura talia, quale est ipsum, E. est Ens singulare. Min. clara est, quia DEUS non potest dividi in plures Deos. Ad argumentum oppositum respondere haud difficile erit. Licet enim DEUS sit communicabilis tribus personis, hoc ta-

D 3.

men